

## LEGES ACADEMIÆ

Dialecticæ aut Rhetoricæ tradunt, Item, qui Latinos aut Græcos scriptores interpretantur, mandent Auditoribus, vt scribant & recitent declamationes. Nulla autem disputatio aut declamatio proponatur publicè, non inspecta à Decano, aut Magistris, quorum iudicium probat Decanus. Nolumus enim materias futiles & inhonestas proponi, nolumus & suggillari quenquam docentem in hac Academia, aut manifesta criminatione lacerari, & accendi discordias hoc more disputandi aut declamandi, qui institutus est, vt proficiat iuuentuti ad eruditionem & ad virtutem, non vt liuidorum adfectibus & petulantia seruiat.

### DE MORIBVS

#### PRIMA LEX.

**D**Eus conditor generis humani sapiens, verax, bonus, iustus, castus, & iudex, sparsit radios suæ sapientiæ, & iusticiæ in homines, non solum vt hæc noticia in nobis, de ipso testificaretur, sed etiam vt obedientia cordis nostri & omnium membrorum cum ipso congrueret, & nos essemus templa Dei, quibus ipse in omni æternitate suam sapientiam, iusticiam & læticiam communicaret. Postquam verò hæc hominum natura merfa est in peccatum & mortem, edidit immensa misericordia decretum de Filio suo vnigenito mittendo, propter quem & per quem remittit peccata, & restituit iusticiam & vitam æternam voce Evangelij & Spiritu sancto in his, qui ad hunc Filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, in vera conuersione confugiunt.

Hi